

25
RÖPL.

46

15 22

EPISTOLA DOMINI MARCI ~~MARVI~~
SPALATENSIS AD ADRIANVM .VI.
PONT. MAX. DE CALAMITA,
TIBVS OCCVRENTIBVS,
ET EXHORTATIO AD
COMMVNEM OM,
NIVM CHRI,
STIANORVM
VNIONEM
ET PA,
CEM.



Reuerendo patri Dominico Buchie catharensi ordinis prædicatoꝝ
Theologiæ professori M. Marulus in dño salutem.

Cum tuis ad populū sermonibus/Dominice pater/frequenter
interfuissem (delectabāt enim me plurimū) postulasti à me/
& quidē enixe/ut Pontifici Maximo per litteras exponerem
Christianorū suorū calamitates/quæ ab infidelibus quotidie inferunt/
eīq; tanq̃ totius ecclesiæ Præsidi supplicarem/ne saltem reliquias ab
iisdē inimicis opprimi patiatur/sed apostolica autoritate reges atq;
Principes nostros ab armis ad cōcordiā reuocatos ad expeditionem
aduersum infideles parādā cōpellat. Cum hoc à me exigeres/nō paꝝ
suspensio animo steti/dubius præstare ne id tibi debeā/an negare. reꝝ
necessitas ut præstare/scribēdi difficultas ut negare iubebat. Lachri/
me multorū & miserabilis uicinorū ad nos confugientiū aspectus ut
scribere cōpellebant/cōscientia autē paruitatis meæ à scribendo ani/
mū retrahebat. Temerariū quippe uidebatur/ut ego qui neq; dicēdi
ui/neq; autoritate ualeo/supremæ dignitatis uiro quicq; persuadere
ausim/nedū talia/quæ olim sæpius ab aliis tentata in cassum cesserāt.
Porro cū mecū tacitus cōsiderassē/nequaq; absq; nutu diuino id te
deposcere/quod ego præstare posse diffiderem/recepi tādē me quod
rogabas facturū/nō meis uiribus/sed dei fretus auxilio. Igitur à spi/
ritu sancto adiutus opus peregi/peractū tibi mitto/ut si probaueris/
continuo Romā mittendū cures. Quod si res ista/quā orditi sumus/
tam prospere q̃ optamus successerit/nihil scriptis meis tribuas uelim
sed ei soli gratias age/qui ut nos seruaret/& te inspirauit ut rogares/
& me adiuuit ut rogata perficerem. Vale & pro me ora.
Tertio nonas Apriles. Anno Salutis. M.D.XXII.

MAXIMO PONTIFICI ADRIANO. VI.
M. MARVLVS SPALATENSIS
HVMILIS AC SVPPLEX.



VVM me Sanctissime Pater/uel exigue
admodum/uel nullius omnino autoritatis
esse scirem/te autē in summo omniū quæ
in terra sunt dignitatū honorūmq; fastigio
sedere non ignorarem/uerebar profecto ad
tantę maiestatis uirum mearum quicq; dare litteras. Porro
hesitantē ac diu dubium ad scribendū/& ipsa tandē rerum
ingruentium necessitas impulit/& animi tui ubiq; uulgata
māsueto persuasit. Atq; ita mecū ipse tacitus ratiocinari
cœpi/Si muliercula illa Samaritana cum Christo dei filio
colloqui non timuit/cur ego eius uicariū humiliter ac sub/
misse affari formidabo? An non etiam Deū patrē quotidie
ut nostri misereatur inuocamus? & aduersa quibus præmi/
mur/ueluti præsentī atq; audiēti exponimus & explicamus?
Decreui igitur hac epistola/& si minus auribus tuis digna/
nobis tamē necessaria/declarare/primū mala quæ patimur
ipsi/deinde imminens omnibus qui fidei tuę cōmissi sunt pe/
riculū/non magis nobis qui propē sumus/q̃ illis qui procul
extimescendū. Hoc autem ne accidat/per te unum præstari
posse cōfidimus/si studiū curāmq; omnē/sicuti debes/adhi/
bere non destiteris.

Mala quæ nos præmunt hæc sunt. Quotidianis infidelium
Turcarū incursionibus infestamur/sine intermissione carpi/
mur/alii trucidantur/alii in captiuitatem abeunt/res diri/
A ii

Parmau
metana
cū chri-
stiano.

piuntur/pecus abducitur/uille uicique igni cōburuntur/agri
quibus cultis uitā sustentabamus/partim uastātur / partim
sublatis cultoribus deserti oblitique/spinis nō frugibus germi-
nant/muris tantū defendimus salutē/satisque habemus/que nō
dū oppida ipsa Delmatie nr̄e obsideātur atque oppugnētur/
intercedente nescio quo adumbrate pacis fœdere. Solis er-
go urbibus parcitur/cetera omnia præde rapinisque exposita
sunt. Tunc autem & urbes ipsas Perfidus ille proculdubio
inuasurus est/& dñs nr̄is Venetis/quibus nunc se amicum
simulat/bellū aperte idicturus/cū aliorū regna oppresserit.
Quomodo.n. ullius Christiani amicus esse pōt/qui Christo
aduersatur/qui neque religione / neque legibus/ neque moribus
nobiscū cōuenit/Profecto ubi tanta regū dissimilitudo est/
ibi nulla unquā intercedere amicitia pōt nisi simulata. Fœdus
ergo quod cū illo nos modo hīc fatemur/ metus/ ne acer-
biora his quæ diximus/pati cōtingat/fouet/nō ratio appro-
bat. Sustinemus enim mala & dissimulamus/ne peiora su-
bire cogamur. Præsentes nostras erūnas breuiter recensui-
mus/iā aliorū quoque calamitates cursim pstrigemus. Omitto
superioribus tēporibus ista omniū Antichristorū impiissima
natio quot regna Christianis abstulerit/quot puincias/quot
oppida sibi subdiderit/ecclesias euerterit/aras prophanaue-
rit. quæ quā plura satis nota sunt oībus/nō est necesse nunc
repetere. Olim fleuimus/olim lamentis lachrymisque prose-
cuti sumus/monasteria desolata/uirgines cōstrupas/pue-
ros baptismate sacro dudū purificatos/deinde uero maume-
thane pfidie more circūcisos/& ex fidelibus infideles factos.
Sed præteritorū malorū penē obliuisci cōpellimur/præsenti-

bus oppressi angustiis/nō quia grauiorē sint/sed quia recen-
tiores. Vix enim ullo die cessant imanes infidelesque bestie quā-
cūque possunt iniuriā Christi inferre cultoribus. Tempia in
quibus iugiter deo sacrificabatur/stabula iumentorū sunt/
Sanctorū corpora/quæ fidelibus uenerationi erant/infidelium
pedibus cōculcantur/Pictæ fideique beatorū imagines/ipsius
etiā Saluatoris nr̄i & Marię uirginis eius matris aut dissi-
pantur/aut in sterquiliniū proiciuntur. Denique nihil præter/
mittere impii pium putant/quod religioni nostrę ludibrio
fore arbitrantur. Atque talia quidē & quondā passi sumus/
& nunc patimur. Post hæc cōmune periculū exponā/etiam
illis qui nihil horū experti sunt/imminens atque timendū. Unū
quippe insatiabilis lupi huius propositū est/nūquā cōquie-
scere/donec quicquid adhuc reliquū christianæ ditionis esse
nouit/suo subdat imperio/cogātque omnes suę obedire legi/
Christū negare/Maumethū adorare/nolentes neci tradere/
si præualuerit. Cūque uires suas tantę exequēde rei satis iam
sufficere putet/unū Pannoniæ regnū sibi maxime impedimē-
to esse ratus ab pficiendū quod cogitat/ingenti coactō exer-
citu illud nuperrime inuasit. Et primo quē impetu castella
quędā ad Danubiū posita cepit. Mox iter Sauū & Drauū
castrametatus oēm regionē illā depopulatus ē/Capriuos ad
unū interfici iussit. Nec multo post Belgradū & natura loci
& armorū uim munitū oppidū/quod olim proauus eius cape-
nequiuērat/ipse expugnauit. Inde ibidem relicto præsidio/
quā hīemēs appetebat/i hiberna recessit/primo uere reditu-
rus/ut totum regnū illud/si possit armis occupet. Quo ipso
amisso/quod quęso reliquū spei christianis erit se suāque tuēdis

Periculū

Pannoniæ
regnum

aut quę fiducia cū tam ualido hoste manū cōserendi? Actū
est/mihi crede/de rep.christiana/nisi omnes pari aīo/ęquali
fide/cōcordi pposito/opes uiręsq; cōiungant/& sociis agmi
nibus/Christiq; noīe inuocato simul ad bellum procedant/
moriq; magis optent/q; barbaricę pfidię unq; seruire.Auxi
lia igitur q̄primū ab oībus mittenda censeo/illi regno/quo
si hostis(Deus hoc auertat)potitus fuerit/aperta erit ei uia/
Germaniā Italiāq; inuadendi/Illyriā omnem opprimendi/
reliquū deniq; Christianoꝝ orbē sibi subiugandi.Hic ergo
obstistendū/hic omni uī atq; conatu repugnandum/ne forte
aperto ostio hic tam imaniū minaz; cataclysmus longe la
teq; sese effundat/& quod residuum est terrarum occupet.
Commune periculū cōmunibus armis propulsandum est.
Nemo in eo se tutū arbitretur/q; ab impioꝝ finibus multa
distet locoꝝ intercapedine.Incendium quod timemus/nisi
mature extinguatur/cū proxima quęq; exhauferit/ad extre
ma quoq; pserpendo penetrabit.Nemo praterea propriis
uiribus cōfidat/nisi patri ab inimicis circūuento opem tūle
rit/& ipse similiter peribit.Potentissimus omniū est/si cum
singulis conferas. Ad unū illum debellandū tot regum/tot
Principū uiribus opus est/quot ipse quondā regna christia
nis/& nup Sýris Mediſq; erepta possidet ac regit. Parum
hoc Pręsides regęsq; nostri attēdunt/si attendissent/nequaq;
inter se/sed cū solo illo digladiarentur atq; certarent.Nunc
autē Hyspani cū Gallis miscent pręlia.Itali inter se diuisi
sunt/alii aliis fauent.mutuis itaq; odiis flagrātes dei aduer
sum se iram prouocant.Ecce nō multo ante in Italia bella
tum est/adhuc Aufonię campi externoꝝ domesticorumq;

eruore madent/nūc iteq; inundandi nisi pręsentis furoris
motus opportuno pacis interuentu compescatur. Quod si
paulo antea acti tēporis/quādo in Italia pugnatū est/cæloꝝ
cadauera numeremus/nōne exclamare licebit.
Heu quantū terrę potuit pelagiq; parari
Hoc quę ciuiles hauerunt sanguine dextre.
Poterant quippe Turcaꝝ potētę esse pares/si dum uiuere/
ita uniti cōtra impios irruissent/sicut separati inter se certa
uerant.Et tamen proh nefas/proh facinus indignū/hoc idē
scelus perpetraturi nunc mihi uidentur/quod tunc cōmis
sum est. Stant in procinctu armata acies/ tam infestis ani
mis cōstictę/ut nisi plurimis utrinq; interemptis pręlium
dirimī nō posse pleriq; opinentur.Nōne igitur pręda ipioꝝ
fient/deo ipsos ulciscēte/qui tam nequiter inuicē dissident/
tāq; capitali odio alii alios persequūtur? Quid enim magis
iniquū/q; in eos hostiliter agere/quibus in omni necessitate
adiumento esse deberemus? in eos inquā cędibus grassari/
pro quoꝝ salute Christus mori non dubitauit? Resipiscite
tandē resipiscite insipientes/quousq; ratio uos fugiet? quo
usq; perniciem uestā ignorabitis? Non uobis pugnatīs/nō
uobis uincitis/sed uni illi/q uos oēs deuorare parat/ futurę
de uobis uictorię pręstatis occasionē.Nam cū uos inuicem
alii alios cōsumpseritis/illem omni iam ope destitutos aggre
diens facile in suā rediget potestātē/& nō educto(ut dicī)
gladio superatos legi suę seruire coget/suę obtēperare ipie
tati.Definite iam tandem Christiani aduersus Christianos
bella gerere.definite cędibus inter uos desauire.eodē noīe
censemini/eiusdem religionis professionē tenetis/concordi

Rō deū
placadi.

ore unum patrē qui in cēlis est/cōfitemini/unum inuocate.
Si per omnia igitur fratres estis. ut quid fraternitatis īmo
etiam humanitatis obliti/discordibus animis inuicem con/
fligitis? Nōne ob hoc maxime irascitur uobis deus/atq; ut
criminis huius à uobis pēnas exigat/infidelibus fauet/atq;
opitulatur? Ex quo nulla sanē mihi uidetur alia efficacior
ratio placandi eum/nisi ut indignationem istam/quā alius
in alium concepistis/in placabilitatem & beniuolentiā cō/
uertatis/& iam unanimes atq; concordēs pro fide/pro reli/
gione aduersum Christi dei ac domini nostri inimicos per/
stetis. Atq; ita demum ille qui nunc uobis dissidentibus ad/
uersatur/recōciliatis placabitur/& de Maumetanis infide/
libus palmā triumphūq; præstabit. Vt ergo deo iuuante
hoc fiat & sequatur tuæ partes erunt Pater sanctæ/q; Chri/
stianorū omniū caput es/discordes cōponere/inter se prēliā
tes ad æquanimitatē mutuāq; beniuolētiā reducere. Age
igitur nihil cunctatus tolle ab his quibus præsidēs funesta
dissidia/tumultuātes mitiga/furentes placa/ in gratiam re/
uocatos hortare/ut societate inita coniunctisq; copiis bar/
baricæ gentis uim orbi minantem reprimant/fessis pericli/
tantibusq; Christicolis adsint/ & uniuersæ dei ecclesiæ/quā
Maumethana perfidia destruere molitur/simul opē ferant.
Sed & tu Sanctissime domine/si quos ī Christianis Princi/
pibus ecclesiæ dei dicto minus audiētes/eiusq; statui ulla in
parte iniurias habes/differ ultionē obsecro/& iustā aduer/
sus delinquentes pēnā in aliud tempus referua inferendā.
Sicuti egisse prudētissimum quondā regem Dauidē sacra
testatur historia. Ioabum enim ducem & Semeum Gerræ

Pœna
reorū diss/
cretāda.Rōe
Dauid

filium noluit tunc punire/cū peccauerunt/& quidem alter
duos sibi pares gloriæ emulatione per dolum interfecerat/
alter ipsi maledixerat regi. At postquā ingruentibus bellis
eorum opera diu usus fuisset/domitis iam inimicis filio suo
Salomoni/cum sibi in regnum successisset/puniendos man/
dauit. Eius tu exēplo Sanctissime pater / mulctam quā illi
qui ecclesiā offenderunt merentur/supprime parūper & cū
deo fauente cōmunē christianitatis nostrę inimicū à cerui/
cibus nostris repuleris/tūc demū in illos animaduertere po/
teris/& quo digni erūt/afficere supplicio. Nunc autē maxi/
me expedit/ut oēs pariter ad concordiā reuocare studeas/
ad ineunda pacis fœdera cōpellas.ut ipsi illa odia/illum fu/
rorem/quē in professionis suæ cōsortes cōceperāt/in Mau/
metanā belluā toti ecclesiæ formidabilem simul effundant.
Non est huius temporis(mihi crede) domesticarū iniuriarū
meminisse/nec inter se depugnare uelle/ne forte apologo
detur locus muris & ranæ. Dū.n. medio in lacu rana murē
sibi alligatū in ima trahit ut mergat/ & mus in sublime ni/
titur ut euadat/miluius illis altior in superficie aquę uolutā/
tes cōspicatus/repente directo ī illos uolatu ambos ungui/
bus comprehendit/rostrōq; dilaniauit.sic reor istis fiet/qui
nunc inter se dissident/nisi dissidere iam desierint. Nam
dum alii aliis perniciem meditantur/dum mutuo morden/
tur/diuisos ac debilitatos/Barbarus caprata occasione in/
uadens facile superabit. At uero si iunctis exercitibus cō/
municatisq; auxiliis ab imminente periculo se se (ut ante
diximus) tuebuntur/perire non poterunt/uincere poterūt.
Sicut enim modo seditione alienatos deus odit ac detesta/
B

Apolog?
muris &
ranæ.

.Pax.

tur / ita deinde amice copulatos adiuuabit / ut uiuant po-
tius q̄ uiuantur / & de illo qui omnibus nobis pariter in-
fusus est / tandem superato triumphant. Suscipiant igitur te
hortatore / te duce pacem / & sicut Apostolus ait / Deus pacis
erit cum illis. Quis est iste deus pacis nisi Iesus christus do-
minus noster, qui de caelo descendens pacem attulit / quia
in se credentes deo patri reconciliauit. Per peccatum enim
eramus filii iræ / per crucem autem christi facti fuimus filii
dei. Idem tunc in carne nasci uoluit / cum orbis terrarum
positis armis in pace quiesceret. tunc & Angelos suos no-
stra omnium salute gaudentes concinere iussit / Gloria in
excelsis deo / & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.
Ad hæc quoties discipulos suos salutaret / dicere solebat
Pax uobis. Ipsis etiam quoties hospitium aliquod ingrede-
rentur / ut pacem ei domui dicerent mandauit. Postremo ad
cælum iturus unde descenderat / pacem illi tanq̄ thesaurum
omnis iocunditatis & dulcedinis plenum legauit dicens /
Pacem meam do uobis / pacem meam relinquo uobis. Cum
ergo deo & domino nostro pacem ueram tam gratam esse
apparet / tam acceptam / non ne manifestum est / quanto ei-
dem odio sint / discordiæ / similitates / iræ / rixæ / bella / inter illos
præsertim / qui de cælestibus unum credunt / unum sentiunt /
eodē renati sunt baptisinate / qui deniq̄ inter se fratres esse
ipsimet non negant / dum orando / unum patrem suum / qui
in cælis est / consitentur. Quando igitur per spiritus sancti
cōmunicationem fratres sunt / fraternæ fac uiuant / & in illū
dūtaxat / qui fraternitatem eorum abolere molitur / unāni-
miter armentur / concorditer irruant / quorūlibet fidelium

Christia/
nos inter
se fratres
esse.

damnum / suum esse deputent. Alioquin si fratrum suorum
calamitatis ac stragis tantum spectatores futuri sunt & non
ultores / actum est de omnibus. Vnus hodie / cras alter / pe-
rindie alius communis inimici iugum tandem subibunt.
Cumq̄ simpliciter uniti / deo adiuuante superiores esse po-
tuisent / disseparati / atq̄ ob hoc deo inuisi / singulatim cōte-
rentur. Veritatis uox est illa in euangelio / Omne regnum
diuisum contra se desolabitur / & omnis Ciuitas uel domus
diuisa contra se non stabit. In Christo credentium unum est
regnū / una ecclesia. Si ergo diuisi esse perseverauerint / pro-
fecto regnum illorum euerteretur. Fieri enim non potest quin
uerum sit / quicquid à ueritate est dictum. Id futurum si quis
euangelio minus credulus dubitat / audiat etiam gentilem
illum qui ait / Concordia paruæ res crescunt / discordia ma-
ximæ dilabuntur. Audiat alium quoq̄ ethnicū nomine Sci-
lurum idem sentientem. Hic octoginta (ut Plutarcus re-
fert) filiorum erat pater. quibus conuocatis hastilium fa-
scem colligatum ut singuli confringerent iubebat / non ua-
lentibus / ipse soluto fasce unūquodq̄ hostile separatim assu-
mens facile cuncta perfregit. & ad illos conuersus / uidete
inquit q̄ donec simul uniti eritis / inuicti permanebitis / sin-
uero diuisi / omnium offensis uos ipsos exponetis. Ne igitur
singula Christianorum regna / dum inter se pertinaciter di-
micant / ab infideli tyranno oppressa pereant / tuæ sapien-
tiæ est Pater sacrosancte / tuæq̄ dignitatis prospicere / ut qui
secum dissident / sine cunctatione in gratiam redeant / iniu-
rias remittant / pacem q̄ bellum maluit / & simul uniti à lupo
illo luporum omnium rapacissimo / qui nullo sanguinis no-

Matth.
xij.

scilurus

Liberali
tas Pon-
tificis.

stri hauſtu ſatiatur/ſe ſuâq; defendant/laborantibus magno
atq; alacri animo ſuccurrant/ amiſſa repetant/recepta Deo
propicio tueantur & conſeruent. Ac ne ego pluribus utens/
uel prudentiæ uel uirtuti tuæ diffidere uidear/ſinẽ faciã/
ſi tamen adhuc pauca quædam ſubiécero / non tui adhor/
tandi cauſa/quem in omnia paratum eſſe conſido/ſed deſi/
derio meo / quo uror obſequendi . Rogo igitur oſtendas te
tot populor; Præſidem/quot tuæ fidei á domino habes cõ/
mendatos/ideſt omnium Chriſtianorum. Omnes ad pacem
mutuamq; beniuolentiam hortare ut parens / compelle ut
dominus. Decet certe res iſta Pontificem optimum excel/
ſiã. animi Adrianum/ magis (ut equidem uideo) aduerſus
infideles lupos animatum / q̃ á me dici queat. Non deſinas
P. S. illos qui in ſinibus ſunt/armis/pecunia/rebus/neceſſa/
riis iuuare / quo facilius in propoſito perſiſtere queant non
dedendi ſe prophanis/neq; loco ſuo decedendi. Tuam ea in
re liberalitatem prædicabũt Croatia quæ adhuc ſuperſunt
oppida/Liburniãq; Dýnaſtẽ omnes arciumq; præfecti. Sed
multo glorioſius in cæleſti regno coram domino / cuius in
terra uices geris/prædicabũt Angelici Spiritus/ ſi chriſtia/
nos Principes ad ſanctiendũ pacis fœdus coges / & omnes
pro orthodoxe fidei gloria ad expeditionem aduerſus infi/
deles aſſumendã ſolicitaueris/atq; interim periclitanti Pan/
noniã opportunum auxilium extemplo mittendum cura/
ueris. Nihil eccleſiæ tuę ſalubrius/nihil tibi laudabilius/ni/
hil deo gratius hoc tẽpore efficere poteſ. Vale in domino
ſemper. Quem ut tibi gregiã tuo uolens propiciuſq; ſit/ob/
ſecrare die noctũq; non ceſſamus.

Pro Adriano .VI. Pont. Max. M. Maruli
Ad Chriſtum Oratio,

Pontifici da Chriſte tuo quod poſco Adriano.
Apta illi & populis cõmoda poſco tuis.
Eccleſiam regat ille tuam moderamine tanto/
Non poſſum melius dicat ut ipſa regi.
Cõmiſſiſq; ſibi gregibus ſic præſit hiantes
Ut procul á caulis cogat abeſſe lupos.
Illo authore feri tollantur prælia Martis/
Et iam pacis amor pectora fida liget.
Illius auſpiciis uiçti domitiq; prophani
Sub leges noſtræ religionis eant.
Illo iter in cælum poſt hæc monſtrante fideles
Dimiſſis terris regna beata petant.
Talia ſi dederis/non ſoli Chriſte Adriano
Sed cunçtis/ſequimur qui tua ſigna dabiſ.
Eſt cõmune bonum/quicquid conceſſeris uni.
Omnes membra ſumus/omnibus ille caput.

FINIS.



Epistola Eloquentissima nobilis uiri domini Marci
Maruli Spalatensis ad .S. dñm nostrū dñm
Adrianum .VI. Pont. Max. Exhorta-
toria ad unionem & pacē omniū
christianorū procurandam
Impressa Romæ
Per B. V.

Anno

.D.

.M.D.XXII. pridie kalendas maii feliciter explicit.





